

centibus adjectum senib. porrigito. Gabriel Zerbus in Gerantocomio cap. 50. sed præstantiorum tamen earum usus est, si ex viperinis carnibus ita præparatis gallinæ & pulli nutriantur, & capi præcipuè illi, qui uftis pedibus castrantur, ut docet Columella, farina hordei exhibita cum lacte, aut pane trito, aut testudine contrita cum milio, vel cochleis, aut cucumerum seminibus ad æquandum hominis temperiem, præcipuè cordis, cui præstantissimum præfert auxilium. Nemo etiam dubitat cordi hilaritatem, ac jucunditatem afferre, mœstitiamq; auferre, venenis, venenatisq; morbis omnibus adjumento esse, & valetudinem conservare posse, & pravis accidētibus corpus repletum evacuat, & vacuum replet, & omninò cunctis virtutibus robor præstat. Jacobus Vueckerus lib. 1. cap. 19. antidoti specialis; viperinæ carnes si coctæ edantur claritatem oculis afferunt, nervorumq; vitijs auxiliantur, incrementes strumas reprimunt. Porro si Galeno lib. 11. cap 1. credendum est, utebantur olim trochiscis viperinis contusis denuò vibratis, & rursus in levorem redactis cum jure, salis nonnihil adijcientes præparati ad suavitatem, quod sal theriacum dicitur adurebant, & similiter in theriacæ præparatione, ut manifestè apud Gal. apparet cō-

N

venire